



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Hunoldi Plettenbergi[i] E Societate Jesu Introductio Ad Jus Canonicum

Plettenberg, Hunold

Hildesii, 1692

Caput IV. Quæ sint partes Juris Cæsarei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62983)

latum obligat omnes eorundem imperio subjectos, imo & sæpè alias in Europa Provincias, quæ in defectum proprii seu municipalis juris libere illud receperunt, ut de Castella testatur Molina tom. 2. de Iust. & jur. Disp. 540. Continetur in corpore seu libris Imp. Justiniani prout capite sequenti videbimus.

C A P U T IV.

Quæ sint partes Juris Cæsarei.

Jus Cæsareum in quot partes dividatur.

Quos libros contineant Digesta, Codex, Volumen, Institutiones, & quomodo citentur?

I.

Jus Cæsareum, quod partim à Romanis Imperatoribus institutum, partim eorum auctoritate collectum, & apptobatum est, in quatuor præcipuas partes dividitur, quæ sunt: *Digesta, Codex, Constitutiones, Novella & Instituta.* Prima ergo pars sunt.

Digesta, quæ Græci Pandectas vocant, id est, libros promiscua & multifaria continentes, tanquam omne rerum ac doctrinarum genus complexos. quam

C

inscrip

inscriptionem inter illecebrosas, & magna promittentes numeravit Plinius, propter quas, ait, vadimonium deserri possit. His Pandectis septem & triginta Jurisconsulti symbolas contulerunt, ex quorum verbis & responsis Digestorum leges velut centones consarcinatae sunt. *Bud. in Pandec.* Cum enim antiquorum Juris interpretum commentaria in eam molem excrevissent, ut Jus confusum esset fermè omni sui parte, ejusque doctrina non solum difficilis, sed ferè etiam infinita videretur, ut dicitur §. *cumque hoc DEO Proëm. & Instit.* jussu & auctoritate Justiniani Augusti sedecim Jurisconsulti triennio duo librorum millia in quinquaginta contraxerunt digesseruntque, quorum viginti quatuor priores dicuntur *Digestum vetus*, quatuordecim sequentes vocantur *Infortiatum*, cujus vocis origo & significatio ignoratur; Reliqui duodecim appellantur *Digestum novum*; Hujus tamen distinctionis, uti & librorum ratio in legum allegatione nulla habetur; Citamus enim legem facillioris inventionis causa per ejusdem initium vel ordinem numeralem addito nomine *Digestis* vel *Pandectis* in ablativo & titulo in quo est
 Lex

Lex hoc modo: *l. Si res mobilis Digestis de rei vindicatione* vel *l. 10. Digestis eodem*. Interdum additur §. Legis, quando Lex in paragraphos dividitur. Porro compendii causa Digesta latine notantur per simplex P. aut D. vel per geminum PP. aut DD Græci vero per *l i Pandectas* notabant, quod deinde scribendi celeritas & abusus pervertit in geminum ff.

Secunda pars Juris Cæsarei vocatur *Codex* continetq; duodecim libros (quorum tamen tres ultimi substrictiore significatione ad tertiam partem spectant) qui continent collectas jussu ejusdem Justiniani leges & Constitutiones Imperatorum, quæ prius tribus Codicibus Gregoriano, Hermogeniano & Theodosiano continebantur, additis etiam aliorum retro Principum Constitutionibus Novellis, sic dictis, quod post memoratos tres Codices vel ab ipso Theodosio, vel ab aliis postea Principibus de novo conditæ essent, quæ etiam *Authentica*, id est certæ fidei dicuntur. Citantur vero leges ex Codice hoc modo: *l. Possessiones C. de probationibus*, id est lege, cujus initium est possessiones, quæ habetur in Codice sub titulo de probationibus.

2. Tertia pars vocatur *Volumen* continetque in primis tres ultimos libros Codicis. Præterea novem Collationes Novellarum seu Authenticarum Constitutionum, quæ post Codicem secundo (nam bis prodiit, sed prior editio non extat) à Justiniano editum & revisum (qui *Repetita prælectionis* dicitur. C. de emendatione Codicis §. *supradictis*, jamque in Scholis usurpatur) promulgatæ sunt, in quibus collationes sunt veluti distinctiones totidem librorum, ipsi vero tituli appellantur *Novella*. His deinde adjectæ sunt *Consuetudines feudales* ex moribus Longobardicis, & quibusdam Imperatorum præsertim Germanorum constitutionibus desumptæ. Vulgo duo libri feudales circumferuntur, sed optima est Cujatii editio in quinque libros distributa. Accesserunt quoque *Constitutiones Friderici Imp.* in favorem Ecclesiæ. Item *Extravagantes Henrici* sub duplici titulo comprehensæ: *Læse majestatis & Rebellionis*. Denique *de pace Constantia*, quæ irrita fuit inter Fridericum Imp. & Henricum ejus Filium, & quosdam populos Lombardiæ, Marchiæ, & Romandiolæ, ac Nobiles Alemanicæ. Allegantur autem pro
di.

diversis partibus hoc modo : *l. fortissimi militibus. C. de militari veste lib. 12.*
Item *Authent. vel Novel. de appellationibus 23. & Sancimus Coll. 4.*

Quartam denique partem Juris Cæsarei constituunt : *Quatuor libri Institutionum*, in quibus totum Jus Cæsareum quasi in compendium redactum est, & præcipuè traduntur ejus principia & elementa. Citantur vero hoc modo : *Instit. de rerum divisione §. Item si quis.*

C A P U T V.

Quid Jus Canonicum & ejus
Excellentia.

*Juris Canonici varia appellationes.
Definitio. Præstantia.*

I.

Divisimus supra *Cap. 3. n. 3.* Jus humanum in sæculare & Ecclesiasticum. De juris sæcularis divisione ejusque partibus actum est duobus capitibus præcedentibus, nunc porro de Jure Ecclesiæ (qui est scopus noster primarius) agendum erit, ac primo hoc capite disquirendum occurrit, quid sit Jus Ecclesiasticum, & quæ ejus præstantia.

C 3

Ju